

Bibliothecae
Christophori HeINRIci
Andreae Geret,
S. Maj. Prussicae in Judicio
Regni Sacro, Principis item
Onoldini in rebus Sanctioribus,
Consiliarii
Sacrorum repurgatorum eorum=
demq; Ministerii apud Thorunensis
Primarii et Senioris.

Autogr. E Praetorius

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU
K. 4033 adl. 1.

CARMEN
DE CAVSIS ET MIRANDO INCARNATIONIS OPERE FILII DEI, DOMINI, SALVATORIS ac Emanuelis nostri IESV CHRISTI.

Dedicatum

Ornatissimo ac prudentissimo viro, pietate, eruditione, sapientia & virtute præstanti Domino HENRICO STROBANDT, inclytæ Reipublicæ Toruniensis Scabino.

1581

Esaiæ IX.

Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, princeps pacis.

Autor è M. Joh. Kittelius.

ORNATISSIMO VIRO, PIETATE, ERVDITIONE, sapientia & virtute præstanti Domino HENRICO STROBANDT, inclytæ Ciuitatis Torunienſis Scabino, ac optimo Musarum fautori,

dedicat
Iohannes Kittelius M.

NVnc tua cum pietas mihi sit celebrata fidesq;,
Qua Superos pariter Pieridasq; colis,
Hæc venerande tibi Patrone dicanda putaui
Carmina, proposito non aliena tuo:
Quæ si non rigida, ceu spero, mente probabis,
Non aberit studijs gratia digna tuis.
Viue diu felix, & Nestoris exige lustra
Quodq; facis, Musas perge fouere sacras.
Sic tibi Castalidum meritos chorus addet honores
Nomen vt æternum pro pietate feras.

ANNO DOMINI M. D. LXXXI.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

NATALIS CHRISTI
carmine Celebratus.

ECquis erit, qui mecum animo, qui ſupplice fibra
Ad viles pueri cunas, cui ſplendida cœli
Texta tamen, cui terra fretis incluſa ſonoris
Inclinant genua, atq; vltrò parere fatentur,
Greſſum agat, inq; preces deſcendat pectore ab imo
Miratus conſulta DEI, miratus Olympum
Se terræ, & numen mortali iungere carni
AEterna fide, & æterno per ſecula nexu.
Si tantum ad partum (vatum pro ſorte) negata eſt
Arx auguſta, ingens, centum inclinata columnis
Quales Romulea Phœbi rota ſuſpicit vrbe:
Nec lectus fuit inducto ſpectabilis auro,
Et fictæ Cedro cunæ, nec faſcia mollis:
At circum lætæ superûm emicuêre cohortes
Fulgentes auro, & lætum Pæana canentes:
At tenui in ſtabulo gazas, opulentaq; cœli
Munera, quæ valeant æui contemnere vires,
Quæ non attenuent tineæ diſpendia edacis,
Explicuit pater omnipotens: videns aurea vt orbi
Pax redeat, ramosq; ferat felicis Oliuæ:
Quàm circùm, plaususq; & rectæ gaudia mentis
Exultant, totaq; mouent ſuſpiria terra:
Diffundit dotes cœli ſacer ignis amicâs:
Et quæcunq; ſuper ſceleris veſtigia noſtris
Dempta ſerenatas ſoluunt formidine mentes.
Tantanè CHRISTE tuo natali dona reportas:
O fortunatus, quem non tua forma remota
Regifico à comtu, aut congeſtum ceſpite culmen
Ducet in offenſam, ſed verbi luce recepta
Multa reluctantes ſenſus, abſurda frementes,
Supponit pedibus ſtrepitum & rationis iniquæ
Reſponſis vatum premit: huic dum vita manebit

Læticiæ fax alma iubar diffundet Olympo
Per corda æterno radians splendoris honore,
Cui nunquam tenebræ se ausint opponere, & atra
Ancipiti sensu turbatæ nubila mentis.
Sit mihi fas Sancta Aura DEI, recludere paruo
Carmine, quid CHRISTVM mortalia sumere membra
Impulerit, quid tanta pati atq; occumbere letho:
Mirum opus, & quo non aliud sublimius vllum est
Intuitus Titan genitali ab origine rerum,
Nec veniens vllo accipiet sermone vetustas.
Sed cui tot dotes, argutaq; texta loquelæ,
Tam genium illustrem venæ, tam pectoris vber
Fœcundum natura dedit? qui carmine munus
Sit pote inauditum, mirumq; æquare fauorem,
Quem magno Pater omnipotens in pignore & orsu,
Missa prole sua in nostræ commercia carnis,
Rebus depositis, adflictoq; edidit orbi,
Vnde iterum, quibus Orcus erat decretus, amicum
Compositi sumus in fœdus, patefactaq; cœli
Atria, cum plausu, patre indulgente, subimus.
O suaues verbi scatebræ, quæ diuite riuo
Tanta bona in sancti submittitis arua Sionis.

Rex cœli prolem vnigenam (quæ fata creatos
Ante orbes cœli & libratum fixerat orbem)
Passus in humanam est cœlo migrare figuram
Vt tali in speculo & naturæ in imagine diuæ
Quà viuum Numen sibi sedem condidit, Orbi
Se det conspectum, & mortalia secla paternam
In mentem insererent oculos, fixumq; tenerent
Iras concessisse DEI, antiquumq; fauorem
Redductum, quia nam nostræ iam carnis amictus
Suspendat nati collo, & transcribat habendos

Ignaro

Ignaro ſcindi nexu, ac compage perenni.
Nos tulerat iam fata, inimicus & hauſerat Orcus
Ni ſacer hic fœtus vteri & DEVS ipſe, ſub auras
Veniſſet, quò regna Stygis quò vincula noſtros
Tenta animos circum valido diſſolueret ictu,
Et miſerè lethi luctantes limine in ipſo
Ad vitam eueheret cœliq; in ſede locaret.
Nam quoniam genus omne hominum de gratia Olympi
Mouerat vnius labes & miſerat Orco:
Vrgebat Lex fixa DEI, fatumq; ſeuerum
Vt genus omne hominum, ſublimis & arduus vltor
Cui foret humano ſociatum in tegmine Numen
Tegmine ſed vicis puro ſed fraude, remoto,
Rurſus in antiquum fœdus, ſortemq; reponat.
Hinc etiam in promtu eſt certis cognoſcere ſignis
Ad quantum decus, ad quantum mortalis honorem
Mirando CHRISTI iam ſtirps emerſerit ortu.
Nam veluti gerimus viuum omnes inſtar Adami
Informi limo, & moribundo corpore ſepti:
Sic CHRISTI quondam ſimulamen habebimus æuo
AEterno, puriſq; micabunt corpora flammis
Quæ iubari certent Phœbeo, aſtriſq; ſerenis.
Nec tantum hic vindex, fatis prædictus in horto.
In quem credentûm ſpes omnis fixa tot annos
Procubuit: noſtros humilem ſe miſit in artus,
Verùm quò noſtræ trans actum opus omne ſalutis,
Redderet: omnem adeò ærumnam, miſerum omne quod vſ-
Omnes pœnarum facies, ſcelera omnia, labe (quam eſt,
Ipſe carens humero ſubijt, lethoq; piauit
Sponte ſua Patris imperium & mandata ſecutus.
Ante ſcelus Colubri Rex diuûm finxerat inſtar
Humana ſub mente ſui & conceſserat illi
Vber opum variarum: hic dia luce renidens

Argutas circùm ſparſit: Sapientia flammas
Per cœli delubra ruens, per regna Deorum,
Incenſamq; auri veſtem fulgore ferebat
Aſtræa & rabiem & fraudes exoſa virago:
Addita erit ſors non culpæ, non obuia morti,
Et diuûm vice per terras data iuſſa ſecutus
Fungebatur homo, rerumq; tenebat habenas
Arduus, æthery & monimentum inſigne laboris.
Vt verò primæua parens mandata Tonantis
Reppulit, ac Dominum ſerpentem in corda recepit
Auſa interdictas manibus contingere menſas:
Exemplò raptum omne decus, verſa omnis in vmbras
Lux abijt, ſqualor ſubijt, ſubiêre profunda
Nebula. Quæ pomi miſeræ tam dira cupido
Infelix mater? tu nos cœleſtibus aruis,
Tu cultu, quem larga DEI indulgentia habendum
Donârat gemmis inſignem & lumine, fraudas
Oblita heu decoriſq; tui, natûmq; ſalutis.
Tot dotes Lux vna dedit, Lux abſtulit vna.
Tunc primum Stygijs lethum ſeſe extulit vndis,
Tum variæ venere lues, deformis egeſtas,
Et dolor humanis fodêre cubilia fibris.
Nulla ſuper feſsis rebus ſolatia, nullum
Lenimen, triſti torpebant omnia luctu.
Non tulit hanc ſpeciem perculſa mente Tonantis
Progenies: ſed enim cum ſceptri æquaret honore, &
Virtutum radijs Genitorem, ac numine magno
Diues iuſtitiæ & cœleſtis gratiæ abundans,
E Luce, in tenebras: è cœli diuitis aula,
In vacuam cenſu ſortem ſe proijcit vltrò.
Sic ne erat in fatis? ſic te ſic mittis ab ima?
(O Amor, O Bonitas, noſtræq; Cupido ſalutis)
Nos vt ad alta leues, regniq; in parte locatos

Hæredes

Hæredes cœli facias, quos lucidus hausit
Orcus, & ira DEI stygys dimiserat vmbris.
O nimium duros hominum miserate labores:
Sis bonus ô felixq; tuis, spes fida piorum
Res propriusq; oculis miserantibus aspice nostras,
Aspice quæso tuis sæuissimus anguis hianti
Instar vt ore Lupi, strages in ouilibus edat,
Atq; tuum calcem, veterum sub pectore vertens
Irarum stimulos, lingua petat vsq; trisulca.
Respice ad hæc tangantq; tuam mortalia mentem:
Exigui miserere gregis, miserere piorum.
Vna salus quibus est in te sperare salutem,
Eripe nos inuicte malis, quos hostis ab omni
Parte premit, rebusq; veni non asper egenis.
Salue luce puer sate, lux puer vnica vitæ,
Quam planè ingratis oculis admittere mundus:
Abnuit, atq; Orco ducentes prætulit vmbras:
Aurea Lux, quæ sola potes obsessa veterno
Enerui radijs conuisere pectora blandis,
Atq; orbi mira ratione referre salutem:
Te nunc unanimis coniuncta Borussià votis
Inclamat, dum terrifico gens turcica motu
Eoa de parte tonat, dum Moschus amica
In Boreæ thalamis texit crudelia fronte
Consilia, ac nostres metitur corde rapinas:
Arma manu cape, Diue Puer, quibus eruta Ditis
Antra, quibus lethi, infractæ crepuêre sagittæ,
Arma cape, effrænoq; ruens occurre furori,
Ne penitus grex iussa colens tua corruat omnis,
Antè nouæ instituas quàm CHRISTE exordia vitæ,
Et iustos cœlum excipiat, Styx sæua profanos.

Lucæ 2.

Pax homini, æterno laus sit honorq; DEO.

FINIS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

102825

KSIĄŻNICA MIEJSKA IM. KOPERNIKA W TORUNIU
102.825
K. 40 33.
102.825.